

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 816

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

987

C O D I C E S

988

gulos ad Editionem magno labore exigere, suumque singulis ex eadem locum adsignare, nec Codicis aetas, nec Scribae peritia mereari visa est. Jacet ad calcem: *Explicit Nicolaus Meyssner prope Czwickauiam.*

CCCCXXIV.

R. 3122 Codex membraneus lat. Sec. partim XII. partim XIII. Folior. 149. 4. eleganter scriptus, sed quadam sui parte tardius subpletus, rubricis distinctus et olim Coenobii Montis Pomerii, Pomarii, Baumgartenberg. Ord. Cist. in Austria super varia D. Bernhardi Abb. Claraevall. continet, quae ordine edifferam. I. *Incipit tractatus domini Bernardi abbatis clarevallenensis de primo uersu Qui habitat in adiutorio altissimi.* Tò domni credibile facit, Codicem ante a. 1174. scriptum fuisse, quo Bernhardus inter Divos relatus est. Sermones XXVII. in quos Commentarius iste tributus est, extant edit. Maur. Opp. Paris. 1690. f. T. III. col. 827. Ineunt a Prologo: *Considero laborem uestrum fratres &c. et in Codice parum ab Editis variant.*

II. fol. 51. *Sermonum de Diversis, de Tempore et de Sandis* sequitur Congeries initio ducto a Notula ejusdem de uersu primi Psalmi Beatus uir. quae incipit: *Pij sunt qui in deum credunt, et in Edit. T. cit. col. 1198. inscripta est Sermo LXXII. quamvis Bernardo vix in mentem venerit, breves ejusmodi Commentatiunculas, quae nullam Sermonis formam*

habent, *Sermonum titulo insignire.* Ab hinc omnia *Bernardina* sunt, licet alio ordine, et saepe aliis Rubricis, quam quas in *Edit.* praferunt. At vero

III. fol. 113. p. 2. succedit Rubrica: *De septem donis spiritus sancti et euangelicis beatitudinibus*, cuius Textus: *Prima gratia est timor domini &c.* Item Rubrica: *Sermo de humilitate et caritate et pacientia et obedientia*, cum Praefatiuncula inscripta: *Incipit prologus Sancti Bernhardi in libellum de uirtutibus*, quae Praefatiuncula in lacinia paullo recentius descripta et inserta est, hujus tenoris: *Eius inspirante gratia qui ubi uult spirat &c.* Utrumque hoc Opusculum Mauriani ad T. V. relegaverunt, et quidem ad coll. 757. et 557. nullo indicato Autore, nisi quod secundum ad *Benedictinum* aliquem pertinere putent, cum in eo citetur S. Benedicti Regula, quae mihi quidem ratio videtur infirmior; nam etiam Cisterciensium est haec Regula.

IV. fol. 129. *De fide spe et caritate.* Tractatulum hunc in *Edit.* cit. non reperi. Nihil in eo de *Caritate*, sed praeter adductam Rubricam hae sequuntur: *De Fide. De spe. De fide antiquorum. De fide simplici.* Igitur aut incompletus est, aut fallit prima Inscripicio. Initium est: *De fide et spe que in nobis est omni poscenti rationem reddere ut ait beatus petrus in epistola sua parati esse debemus cum modestia et timore. Itaque ut pariter seruentur modestia in sermone timor in assertione prophetas ueborum*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 816

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

989

P A T R I S T I C I .

990

borum nouitates ut ait apostolus uitemus et in nullam partem precepiti assertione declinemus. Innuere haec videntur tempus, quo, ut autor est Trithemius de Petro Abaelardo n. 381. Philosophia secularis sacram Theologiam sua curiositate inutili foedare coepit. Augustino frequenter utitur doctus, sed mihi ignotus Scriptor.

V. fol. 131. p. 2: *Verbi prefacio. et sacre scripture continua-
tio. Legendum puto commendatio-
nit. Ita suadet initium: Est sacra scri-
ptura utilis ad docendum. suavis ad
monendum. arguta ad arguendum.
disticta ad corrigendum &c. Ita
pergitur quatuor ejus Sensus com-
parando quatuor Elementis, An-
nulis Arcae, Jejunii temporibus,
Rotis currus Aminadab, quarum
prima per tragediam incedit bellica
ut libri machabeorum pertraetans.
Secunda per comediam nuptialia
dum cantat ut cantica canticorum.
Tercia satyrica. i. reprehensua ut
euangelium arguens mundum de
peccato. Quarta uero ymnologa ly-
rico carmine ut psalterium ineffabi-
le suavitatis iubilum uniuerstati
suauissime inducit. &c. et tandem
concluditur: Causa igitur hec no-
stra ciuilis uelut manna celitus do-
natum sit uerbum illud rem publi-
cam reconcilians incarnatum per-
tingens a fine usque ad finem fortiter
et disponens omnia suauiter.
Atque hinc conjici potest, cur
Tractatus hic supra Verbum in-
scriptus fit. Dividitur ille porro in
Rubricas sequentes: De uerbo in-
corporato sine materia materiam
creante. De vita germinali. De*

*vita animali. De vita rationali. Ra-
tio loci temporisque communis. De
forma omnium. De graciarum agio-
ne et fidei oratione. De osculo na-
ture et gratie dei. De materia a-
moris. De potentia rationalis crea-
ture. De differentia boni et mali.
De contrariis boni et mali. De dif-
ferentia boni et boni. De differen-
tia mali et mali. De habitu et pri-
uatione. De necessitate boni et ma-
li. De uirtutum et uiciorum origi-
ne. Initium Rubricae I. est: Ver-
bum igitur est, quo est et regitur,
quod in effectus causarum prodire
et redire habet, sed non datur ul-
tra. Verbum igitur cum sit forma
totius silentii, et c". c"q; (ita scri-
ptum) uerbi silentium ita plane,
ut neutrum sine altero pronuncian-
di modum, nec alterum cum alte-
ro habeat. modus est, ut, ubi uer-
bum, non silentium, ubi silentium,
non uerbum, cum tamen uerbum
non uerbo, silentium non silentio;
uerbumque silentio, silentium vero
non uerbo uideatur. &c. Hominem
nebulis Pythagoraeo — Platonico —
Cabbalisticis Doctrinam Chri-
stianam involventem audis, quales
Seculo XVI. Franc. Georgius Ve-
netus, Paulus noster Scalichius et
alii fuere. Per totum Effatis bibli-
cis argutias dialeeticas miscet, scri-
bendique ratione tumida, scabra,
obscura utitur, ut videatur, quan-
doque nec se ipsum intellexisse.
Vel extrema argumento sint: Ve-
nit igitur filius hominis. quo nam
modo. non modum ostendere. cum
sit modus immoderatio euenire scan-
dalum. sed modo uirtutis. id omni-
no euacuare. quia uenit querere et
sal-*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 816

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

991

C O D I C E S

992

saluum facere quod perierat. Accedit difficilis Librarii manus, quam Sec. XIII. habeo, quo Roscelini, Abaelardi, Berengarii, Gilb. Porretani &c. Philosophimus jam latius Theologorum scholas pervaaserat.

*Clare sunt ualles, quia ualles nomine claras
Clarior instituit religione pater.
Fama patris uitalis odor, ualidumque vetusto
Heu viciis fidei robur in orbe fuit.
Spirat adhuc, celerisque noti uelocior alis
Evolat, ac dulces promit ubique modos.
Nempe nouis iudebat adhuc puerilis in annis
Mens, cum iam mentis floruit intus honor. &c.*

Habes sat facilem venam ignoti Modulatoris, qui finit:

*At modo succubuit titubans heu musa, nec audet,
Febricitans trepidis edere plura sonis.*

Explicant uersus cuiusdam amatoris sancti bernhardi.

CCCCXXV.

R. 48 Codex membraneus lat. nunc Sec. XV. est enim rescriptus, duobus, qui etiamnum adparent, saltem Seculum VII. loquentibus; Folior. 62. f. min. per duas columnas bene exaratus, rubricis distinctus, et olim, ut p. 1. subnotatur, monachorum congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum Seuerini et Soffij de neapoli, continet D. Bernardi Claraevall. Abb. Sermones in Cantica Canticor. Inscriptio minita est: *Bernardi clareuallen sis abbatis super cantica canticorum sermo primus incipit.* Initium: *Uobis Fratres alia quam aliis de seculo*

&c. Finis Sermone LXXXVI. quo usque videlicet Autor laborem perduxit: *ut filij lucis inquit ambulate.* Textus cum edit. Maur. T. IV. col. 1267. probe conspirat. Adtextum est ad calcem Foliu manu Sec. XII. luculente perscriptum, continens expositionem Psalmi LXVII. v. Si dormiatis inter medios clerros &c. T. IV. edit. Maur. Opp. Augustini col. 674 — 75. Vitio compactoris Membranae in Codice mire turbatae sunt.

CCCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 16 XIII. Folior. nunc 154. f. per du-